



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Archdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

De Controversijs Polemicis, & Scholasticis, etiam modernis

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

Articulus 2. Eneruantur varia Argumenta, & effugia contra hæc à Libertinis
opponenda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40853

fortè stabis ante tribunal supremi Judicis , Fidei
 tuæ rationem redditurus , ubi in momento ac-
 cipies extremam sententiam , unde pendet tota
 Aeternitas. Adhibe ergo nunc in inquirenda ve-
 ritatis via illam curam ac studium , quod serio à
 te adhibitum non fuisse , serò lugebis : in hoc
 enim puncto ad vitæ finem ultrò errare , aliud
 non est quam aeternum perire.

ARTICULUS SECUNDUS

*Eneruantur varia Argumenta & effugia contra hæc
 à Libertinis opponenda.*

Respondebunt pro sua , suorumque erro-
 rum defensione , atheorum more , horum
 temporum Libertini : Hominem ex jure & dig-
 nitate naturæ suæ in res sublunares liberum do-
 minatum , usumque obtinere. Durum proinde
 videri , à superiori aliquo Numine , nullo co-
 gente, tot legum divinarum vincula subire, quæ
 naturali hominis libertati ac fælicitati in cre-
 aturarum usu maximè præjudicant : ideoque
 nolle se ex doctrina sibi incerta , de libertatis
 suæ certa possessione deturbari.

Sed ut tuo etiam , Libertine , commodo con-
 sulamus , abs te quæro : An non tibi multò du-
 rius videatur eam de Deo , ejusque legibus
 doctrinam abjicere, quæ si vera sit , absque ullo
 in futurum remedio , tibi allatura est calamita-
 tem perpetuo duraturam, si verò falsa, nihil eam
 profitenti in hac, aut altera vita nocitura est ? Si
 enim nullum existat numen, nullus quoque erit
 hominum qui post hanc vitam , tuum tibi in
 colendo Numine errorem exprobrabit : illo
 autem

autem existente, unà cum spreti Numinis ultione, consurget adversum te tota hominum multitudo, quæ ab orbe condito Deum ritè coluit, tuæque vesaniæ, quod à communi orbis sensu ultrò aberraveris, meritissimo jure insultabit. Securum igitur te reddit Numinis veneratio à gravissima pæna atheis perpetuò formidanda, atque insuper spem parit ingentis præmii finceris Dei cultoribus, communi orbis judicio, in perpetuum destinati. Et quamvis (quod fieri nequit) tuum de existentia Numinis judicium cum communi orbis consensu falleretur, per hoc præsentis vitæ conditionem nihilo reddes deteriolem. Amens ergo sis si doctrinam omnibus adeo compertam amplecti recuses, quæ te pæna securum, ac perpetuò fælicem reddere potest, miserum non potest.

At, inquires, quo modo in totius vitæ decursu possum esse non miserrimus, si in omni actione vindicem supremi Numinis manum mihi perpetuò imminentem agnoscam, à quo dum in libero rerum creatarum usu, aut abusu futura supplicia pertimesco, statum præsentis vitæ ego mihi fabrico quovis gehennæ periculo deteriolem?

Pones facile hanc miseræ formidinem, quam præsentium illecebrarum spectra injiciunt, si haud minorem esse hominis Christiani quam Athei, etiam in præsentis vitæ, fælicitatem, mecum æquâ lance expendas. Vita hominis Athei, sive Libertini divinum cultum aspènantis, perpetuam patitur cum vera ratione luctam ac dissidium, dum advertit se, in repudiando Numinis obsequio, à communi orbis sensu dissidère. Nullum habet in Dei providentia solatium aut asylum, ad cujus præsidium in ad-

versis

versis confugiat : nullum illi intercedit cum veris Dei cultoribus Religionis vinculum aut commercium : omnium in hac vitâ odium & opprobrium incurrit : ac post mortem nullam alterius vitæ felicitatem expectat. His autem solatiis ac gaudiis homo Christianus in præsentî vitâ iucundè perfruitur, iisque intra conscientiæ finem suavissimè oblectatur. Liberum verò rerum creatarum usum si spectes , hic quoque usus in homine Christiano , quantum necesse est ad beatèque vivendum, nulla ex parte desideratur. Præstò illi abundè sunt oblectationes innumerae divinâ lege concessæ , quæ tanto suavius ac securius mentem explent , quantò magis defæcata sunt à belluinis cupiditatum illecebris , à quibus ipsa natura , & ratio abhorret. Non arcet illum sua in Deum Religio à communibus fortunæ donis , à publicis in republicâ honoribus , ab opibus legitimè acquirendis , à clari nominis fama ad posteritatem transmittenda , in nulla denique parte felicitatis humanæ Christianus Atheo aut Libertino concedit : in hoc semper dispares , quod homo Libertinus habeat plurimum quod post hanc vitam timeat , nihil omnino quod sperare possit.

Si forte dicas , Onus tibi maximum , & quavis Æternâ gravius apparere ; captivum tradere intellectum ad obsequium fidei , in rebus capti difficillimis , quæ omnem intelligentiæ tuæ lucem effugiant : ut est Deus unus & trinus , Animæ immortalitas , & alia non minus ardua fidei mysteria. At quid si ego palam fecero, dum onus hoc amoliris , & te nihil absque sensuum experimento credere profiteris , assumpsisse te onus credendi mysteria multo magis abstrusa , & ab omni sensu & ratione remota , quam
 quæ

quæ tibi per atheismum excussisse vidêris ?

Age imprimis : homo Christianus credit existere Deum , qui sub ejus sensum aut aspectum non cadit ; Atheus verò , ut Dei demonstrationem enervet , admittit seriem causarum infinitam , aut occultas atomos , ex quarum fortuito concursu omnia coalescant : hanc autem seriem infinitam , has atomos occultas , hunc concursum tam affabrè , & tamen fortuito omnia formantem , nec illi visus , nec sensus , nec ratio ulla unquam spectandum exhibuit. Secundò , Christianæ fidei professor Animam hominis , quam nunquam spectavit , immortalem agnoscit : Atheus animam post mortem in nihilum abire profitetur , quam tamen nunquam suis oculis in nihilum evanescere conspexit. Christianus asserit omnia in hoc orbe supremâ Dei sapientiâ disponi : Atheus è contra sustinet res universas à solo Fato gubernari ; neque tamen arbitror ipsum ullo hæctenus sensu Fatum magis , quàm Deum percepisse. An non advertis , Libertine , quam recondita , & ab omni sensu aliena dogmata cum Atheo admittas , qui tamen profitetur , se nihil agnoscere velle , nisi quod aperto sensuum testimonio comprobatur. Quod si in his figmentis tam abstrusis , non dubitat captivum tradere intellectum , quid illum in admittenda Numinis existentia remoratur ? Quam ratio demonstrat , quam Doctorum auctoritas probat , quam Gentium pæne omnium consensus apertè testatur.

Nunc tandem , ut te propius conveniam , quæro ; An hanc doctrinam pro tua agnoscas ; Veritas omnem vitæ humanæ ordinem , justitiam , honestatem pervertit : Falsitas optimum in mundo ordinem , justitiam , honestatem inducit.

ducit. Haud dubito, malefanum hoc doctrinæ monstrum confestim averfaberis. Efficiam tamen paucis ut hoc naturæ immane monstrum, mentis Deum averfantis fatum esse agnoscas. Si enim verum est hoc quod supponit Atheus, Non est Deus, non est providentia, non est Religio quæ ulla hominum flagitia prohibeat aut puniat; liberum erit sine scelere etiam innocentem trucidare, aliena bona rapere, alterius thorum violare, per nocturna furta aut incendia quascunque domos & urbes devastare, quidquid furor, quidquid libido suggererit, absque ullo crimine aut Numinis metu patrabitur. Sublato enim Deo tollitur lex divina, sublata autem lege, omne flagitium legi contrarium, & constituta flagitio pœna penitus evanescit. Quinimò si Numen è mundo tollas, jam blasphemia, perjurium, impietas, virtus erit maxima, ac laude dignissima, utpote conformis primæ atheorum veritati, qui divinum Numen nihil nisi commentum aliquod vanum, ac chimericum arbitrantur.

Ex adverso, quidquid in rerum natura honestum, quidquid rectè ordinatum conspiciamus, si atheo credis, Falsitatis beneficio acceptum referamus oportet. Supponit enim Atheus dogma esse falsissimum, *Deus existit*. Et tamen ex Dei existentia ab hominibus credita profluunt actiones honestissimæ, ut fides in verbis, fidelitas in pactis, amor justitiæ, obedientia legum, denique odium omnis flagitii, quod agnoscunt homines à Deo justo iudice severè puniendum; uti credunt ab eodem amorem æquitatis, & omnis actionis honestæ æterno præmio remunerandum.

Quid autem magis distortum fingi aut cogitari

tas potest, quàm rectissimam bene agendi normam ex errore falsissimo enasci, primam omnium æquitatis regulam, iniquissimo ficti Numinis cultu contineri: denique optimum in rebus humanis ordinem, pessimo totius naturæ monstro deberi? An non apertè vides, quo pacto ex inverso cerebri tui iudicio, totius universi ordo evertatur.

Neque dicas, sepositâ cognitione, ac lege divinâ, ipsi Naturæ humanæ innatum esse hunc æqui, rectique amorem, ut sponte sua actiones cum flagitio conjunctas aversetur, eamque esse legem quandam non aliunde acceptam, sed ipsi naturæ per se impressam.

Nam ego ex adverso demonstro, illam rectè agendi legem non posse naturæ inesse, nisi eam aliunde ex perfectiori principio inditam fuisse agnoscas. Memineris enim te, qui Deum naturæ conditorem inficiaris, Animam quoque homini incorpoream atque immortalè negare: teque totam hominis machinam, & quidquid in ea continetur ex fortuito quarundam atomorum concursu fabricare.

Quæro igitur nunc, quo pacto ex fortuita illa corpusculorum congerie, quibus ex natura sua nihil rationis inditum est, provenire possint illa perfectissimæ rationis principia, quæ etiam quandoque reluctante naturâ singulos homines docent, *Suum cuique tribuendum: Parentes honorandos: Alteri non faciendum quod tibi nolles fieri, &c.* Ea enim vis insita non est corporibus ex se stupidis & ratione carentibus, ut in unam molem conflata, talia conferant rationis lumina, quibus ipsa penitus destituuntur. Certissimum namque totius naturæ axioma est, Nullam causam posse producere effectum seipsâ perfectio-

fectiorem. Quomodo ergo suprema illa rationis principia, & nulli errori obnoxia, poterunt provenire à sola symmetriâ, motuque corporum elementarium, quibus nihil magis proprium ac congenitum est, quam casus, error, & ignorantia? Sicut igitur à Magistro inanis cerebri, ac nullis artibus imbuto, nemo scientiam hauserit indubitam, & omnis erroris expertem, ita necessarium erit deficere ac vacillare prima illa rationis principia, quæ pro certissimis habentur, nisi à supremâ ac perfectissima quadam intelligentiâ deriventur, qualem extra hanc quam cernimus corporum congeriem inquiras necesse est.

Atque hinc ut arbitror satis manifestè deprehendis, ipsam naturæ vim, in qua effugium quaerebas, te ad supremum ac perfectissimæ intelligentiæ Numen sua sponte adducere, dum invictè demonstrat, hæc ipsa rationis principia, quæ naturæ attribuis, non posse homini inexistere, nisi Deum, qui illa Animæ incorporeæ imprefit, ut primum primæ veritatis fontem & auctorem agnoscas.

ARTICULUS TERTIUS.

Ex admissa Dei existentia, facili methodo demonstratur progressus ad divina attributa, & ex his ad reliqua Mystera fidei, ejusque Analysim.

V Ti ex commonstratis scientiarum principiis, conclusiones quædam obscuriores facile elucescunt, ita ex demonstrata supremi Numinis existentia, mirum quanta menti humanæ lux oboriatur, ut pex solida rationis principia